

Charter of MAGDALENE COLLEGE, Cambridge.

[*Taken from a Copy sent to the Commissioners by the
Rev. Edward Warton, President of the College.*]

Charta Foundationis Hen. 8^{vi} Anno regni sui 33^{uo} Apr. 3^{to}
Annoque Domini 1542^o.

Henricus octavus Dei gratiâ Angliæ, Scotiæ, Franciæ, et Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, et in terrâ Ecclesiæ Anglicanæ et Hiberniæ supremum caput, omnibus ad quos præsentis Literæ pervenerint Salutem: Sciatis quòd nos in augmentationem scientiarum, artium, eruditionum, virtutis; nec non ad honorum studiorum ac morum incrementum ac ad specialem contemplationem, et humillimam requisitionem perdilecti et fidelis Consilarii nostri Thomæ Audeley prænobilis Ordinis nostri Periscelidis Equitis, Dⁿⁱ de Walden, ac Cancellarii nostri Angliæ; de Gratiâ nostrâ speciali, ac ex certâ scientiâ et mero motu nostro, ad laudem et honorem Sanctæ Mariæ Magdalene quoddam Collegium perpetuis temporibus duraturum in fundo, terrâ, sive circuitu et præcinctu cujusdam loci nuper vocati Buckingham College, in almâ Academiâ sive universitate Cantabrigiæ situati et existentis; videlicet de uno Magistro et octo Sociis per præfatum Dominum Cancellarium, Hæredes et Assignatos suos nominandis, divina officia in dies ministraturis ac omnia et singula alia facturis et perimpleturis, juxta Ordinationes, Dispositiones, Provisiones et Statuta, quæ per prædictum Cancellarium nostrum, Hæredes, Executores vel Assignatos suos in eâ parte erunt ordinata, disposita et provisâ: Tenore Præsentium fundamus, facimus, erigimus, creamus et stabilimus. Quod quidem Collegium Collegium Sanctæ Mariæ Magdalene nominabitur, nuncupabitur et vocabitur in perpetuum, sicque Collegium illud in perpetuum nominari, nuncupari et vocari volumus: Concedimus etiam quòd prædictus Magister et Socii sic per præfatum Dominum Cancellarium vel Executores suos nominati et successores sui, Magister et Socii Collegii

sanctæ Mariæ Magdalenæ in Academiâ sive Universitate Cantabrigiæ vocabuntur et nominabuntur; sintq; unum corpus incorporatum re ac Nomine; ac eosdem Magistrum et Socios perpetuis temporibus duraturos creamus, facimus et stabilimus; eosq; pro uno Corpore declaramus, acceptamus et approbamus; et quòd habeant successionem perpetuam; et per nomen Magistri et sociorum Collegii sanctæ Mariæ Magdalenæ in Almâ Academiâ Cantabrigiæ nominabuntur et vocabuntur in perpetuum. Concedimus etiam summâ auctoritate nostrâ Regiâ quòd prædictum Collegium, Magister et Socii, nec non Successores sui, sint et in perpetuum erunt Membrum de Corpore Academiæ sive universitatis prædictæ; dictumq; Collegium, et prædictum Magistrum et Socios, et Successores suos eidem Corpori Universitatis unimus et consolidamus, uniri et consolidari volumus, et Collegium illud, ac Magistrum et Socios ejusdem, et Successores suos, tanquam Membrum, et pro Membro prædictæ Universitatis facimus, creamus et stabilimus; ita ut dictus Magister et Socii, et Successores sui in perpetuum in omnibus et per omnia tractentur, et omnibus Libertatibus et Privilegiis eidem Universitati spectantibus, prout Membrum et pars ejusdem, gaudeant et utantur. Volumus etiam et concedimus quòd prædicti Magister et Socii, et Successores sui per idem nomen supradictum, eis per nos tenore præsentium assignatum, sint et erunt in perpetuum personæ habiles, et in lege capaces, ad perquirendum, recipiendum, et acceptandum Terras, Tenementa, Redditus, Reversiones, Servitia, Advocationes, Rectorias, Decimas, Libertates et Franchlesias, Privilegia et Immunitates, ac alia Emolumenta, Possessiones et Hereditamenta quæcunque tam Spiritualia quam temporalia; ac per nomen prædictum placitare et implacitari possunt, aut prosequi omnimodo Causas, Querelas, Actiones reales, Personales et mixtas, cujuscunque generis fuerint et nature, ac libertates et franchlesias calumniari necnon respondere et responderi, ac defendere sese sub nomine prædicto in iisdem Causis, Querelis et Actionibus; ac quodeunque aliud quod pro proficuo ac jure dicti Collegii sit faciendum, facere coram judicibus Ecclesiasticis et secularibus et tam coram nobis, quam coram quibuscunq; judicibus et judi-

ciariis in quibuscunq; curiis et Placitis nostris, Heredum et Successorum nostrorum, Regum Angliæ, ac in aliis Curis quibuscunq; quòdque prædicti Magister et Socii habeant Sigillum commune pro rebus ac negotiis suis utendum et ordinandum. Et præterea de uberiori Gratiâ nostrâ dedimus et concessimus, et per præsentem damus et concedimus præfato Magistro et Sociis Collegii prædicti fundum terram situm circuitum et præcinctum dicti Collegii nuper vocati Buckingham College, ac omnia Aedificia ejusdem, ac illa duo Gardina sive parcelas Terræ cum Stagnis in iisdem vocatas Two pond-yards, eidem nuper Collegio de Buckingham spectantes; et redditus, firmas et reversiones prædictorum Gardinorum et Stagnorum, cum omnibus suis pertinentibus, per manus tenere suas, sive firmariorum dictorum Gardinorum et Stagnorum solvendas; habendum et tenendum prædictum fundum, terram, situm, circuitum, præcinctum, Aedificia, Gardina, stagna, Redditus, Firmas, Reversiones, et cætera præmissa cum suis pertinentibus eidem Magistro et Sociis et Successoribus in perpetuum de Nobis, Heredibus et Successoribus nostris, Regibus Angliæ, in liberam, puram et perpetuam elemosynam in perpetuum. Concedimus etiam præfatis Magistro et Sociis, quòd isti et Successores sui auctoritate præsentium perquirere et recipere possint et valeant eis et successoribus suis Maneria, Terras, Tenementa, Rectorias, Decimas, Redditus, ac alia Hereditamenta quæcunque ad clarum annum valorem centum librarum de quacunque personâ sive quibuscunq; Personis illa eis dare volentibus; licèt eadem Maneria, Terræ, Tenementa, Rectoriæ, Decimæ, Redditus, vel alia Hereditamenta aut aliquæ inde parcelle tenentur de Nobis in Capite vel aliter. Concedimus etiam præfato Domino Cancellario quòd toties quoties Officium Magistri dicti Collegii per mortem, cessionem, resignationem, vel aliâ quæcunq; de causâ vacaverit, quòd tunc prædictus Cancellarius, Heredes et Assignati sui, Domini nuper Monasterii de Walden in Comitatu Essex alium Magistrum nominabit vel nominabunt per literas sub Sigillo eorum conficiendas. Et toties quoties Officium alienjus Sociorum dicti Collegii mortem, per Cessionem, resignationem, aut aliâ aliquâ de Causâ vacaverit; tunc

major Pars alium aut alios Socios eligant juxta Statuta, Ordinationes et Provisiones per præfatum Dominum Cancellarium, Hæredes et Executores suos faciendas ac statuendas. Concessimus etiam præfatis Magistro et Sociis, quod ipsi de tempore in tempus facere et concedere possint et valeant Regulas, Ordinationes et Statuta, pro bono regimine dicti Collegii, ac dictorum Magistri et Sociorum, et aliorum quorumcumque in dicto Collegio commorantium et studentium juxta sanas discretionones suas, prout eis melius videbitur expedire. Et hoc absque sine seu feodo magno vel parvo Nobis in Cancellariâ nostrâ vel in Hannaperio Cancellariæ nostræ pro præmissis vel aliquo præmissorum aut pro his Literis nostris patentibus habendis, et fiendis, seu deliberandis, reddendis sive solvendis; Statuto de terris et tementis ad manum mortuam non ponendis, seu aliquo alio Statuto, Actu, Ordinatione, Provisione, sive Restrictione in contrarium factis, editis, ordinatis seu provis, aut aliâ aliquâ Re, Causâ vel Materiâ quâcumque in aliquo non obstante.

In ejus rei Testimonium has Literas nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Westmonasterium 3^{ro} die Aprilis, Anno Regni nostri 33^{io} Annoque Domini 1542^o.

To the Maister and Fellowes of Magdalene Colledge in Cambridge.¹

After my hartye commendations Whereas the heires and executores of the late Lorde Awdlye deceased have full power and aucthorytye by youre foundation to appointe orders and Statutes for the mainteynauce of Godes glorie the encrease of good learninge and the comlye regimēte of youre Colledge In as muche therfore as the said Statutes are allredye appointid perusid and also correctid by suche judgmente as the said Executours and I (whome it pleasid God to appointe for the time beinge and my children hear-

¹ Written ten years after the statutes were given.

after as proper heires unto the sayd L. Awdeleye) have thought meet and conveniente These therfore shalbe to wyll youe and by the aucthorytye aforesaid to require youe faithfullye to receyve and obedientlye to folowe all these Statutes and ordinaunces with all correctyons and reformations which hearin have bine thoughte conveniente as youe will awnswere to the contrarye at youre perill. And yf any inconvenience shall ensue in any particulare Statute by practise hearafter (because at this presente it cannot be throughelye forsene) it shalbe lawfull for the Master with the consente of the most parte of the fellowes of the said Colledge humblye and obedientlye to require a redrese of the said inconvenience at the handes of the said heires and their Successors from tyme to tyme tyll the Statutes be made perfecte: for better doinge wherof at this presente I have requirid M^r D. Kelke now Master to use his diligence. And thus nothinge doubtinge of the submission of youre selves accordinglye I comitte youe to God whoe have youe all in his kepinge. Frome Norwiche this xxiiijth of Janua. anno 1564.

Your well wishere

T^HNORFOLKE.

N.B.—This Duke of Norfolk married our Founder's Daughter, named Margaret.